



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia**

Tribus Tomis comprehensa


Opuscula Spiritiva - I. Horologium Asceticum. II. Principia Vitae Christianae. III. Manuductio ad Coelum. IV. Via Compendii ad Deum. V. De Sacrificio Missae. VI. De Discretionem Spirituum ... Operum Eminentiss. Cardinalis, Tom. I

**Bona, Giovanni**

**Parisiis, 1677**

§. 1. Quale Sacrificium sit Missa.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9969**



DE

SACRIFICIO MISSÆ ;

TRACTATUS ASCETICUS.

CAP. I.

*Quaedam præmittuntur de ipso Missæ Sacrificio.*

*§. I. Quale Sacrificium sit Missa.*



UAMVIS in lege veteri plura fuerint sacrificia, in nova tamen unicum est, quod omnium legalium hostiarum differentiam tantò perfectius complectitur, quantò excellentior, Deoque acceptabilior est victima, quæ in eo immolatur. Est igitur Missa sacrificium latreuticum, sive honorarium oblatum Deo ad summum & supremum cultum atque honorem ipsi exhibendum, tanquam primo principio & ultimo fini nostro, in protestationem infinitæ ejus excellentiæ, dominii, & majestatis; nostræque ab eo dependentiæ, servitutis, & subjectionis. Est Eucharisticum in gratiarum actionem pro omnibus beneficiis naturæ, gratiæ & gloriæ collatis & conferendis ab ipso Deo, ut summo benefactore. Est Propitiatorium & satisfactorium pro peccatis & pœnis debitis, applicat enim omnibus, pro quibus offertur, vim & virtutem sacrificii crucis; imò est idem sacrificium quoad substantiam, eadem hostia, idem principalis offerens, licet diverso modo offeratur. Ideò vero propitiatorium dicitur, quia hac oblatione placatus Dominus gratiam & donum pœnitentiæ peccatoribus non ponentibus obicem concedit: Pœnas item peccatis debitas relaxat, quia per ipsum applicatur sacrificium Christi, qui pro peccatis totius mundi

in cruce satisfecit. Easdem pœnas remittit defunctis existentibus in Purgatorio, quia ad eum quoque finem à Christo institutum est; ut constat ex potestate, quæ confertur Sacerdotibus in ordinatione, offerendi pro vivis & defunctis: nec potest hoc effectu carere, quia ex parte ipsorum nullus obex esse potest. Porro in illis, pro quibus tantum offertur, sive vivis, sive defunctis, tanta erit pœnæ remissio, quantam Christus ex sua misericordia taxavit. Licet enim res, quæ offertur sit infiniti valoris, nostra tamen oblatio non nisi finitum habet effectum, ut communiter docent Theologi. In iis verò qui simul etiam offerunt, augetur pro cuiusque affectu & devotione. Denique quia Christus non solum nobis remissionem peccatorum, sed alia quæcunque beneficia promeruit, idcirco hoc sacrificium est etiam omnium bonorum impetratorium, spiritualium quidem primò & per se, temporalium verò secundariò, & quatenus ad spiritualia conducunt. Sed quia ex se vim habet dumtaxat impetrandi in genere, ut aliquid determinatum impetretur, debet ad illud offerentis intentio specialiter applicari. Ad impetrandum autem pro Ecclesia, semper intervenit ejusdem Ecclesiæ intentio, præsertim quoad ea quæ in orationibus Missæ à Deo petuntur: nam ipsa quoque Ecclesia est offerens in persona sui Ministri.

§. II. *De his qui offerunt hoc Sacrificium.*

**P**rimum & præcipuum inter offerentes locum obtinet Christus, qui solus potuit acceptabile sacrificium offerre Patri, quod quia quotidie offert per Sacerdotes ministros suos, idè dicitur sacerdotium habere sempiternum, sicut scriptum est; *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Non solum autem ex eo est offerens quod illud instituerit, quodque ei vim totam ex meritis suis contulerit; sed ex eo præcipue quod sacerdos in persona ejus, & tanquam Minister ac legatus ipsum repræsentans sacrificat, ut constat ex verbis